



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IX. Acholius non fuit illic Legatus Damasi, ut persuasum fuit viris doctis.  
Castigantur qui putant Sozimenum enumerare Acholium inter præsides  
istius Concilij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

placuit neque Maximum Episcopum esse vel fuisse, nec eos qui ab ipso in quolibet gradu Clerici sunt ordinati, cum omnia que ab eodem perpetrata sunt in irritum deducta esse videantur. Tum vero ordinatus est Nectarius Episcopus in Ecclesia Constantinopolitana.

I X. Datum hunc honorem ingentibus Acholij virtutibus, habita etiam fortassis ratione sedis Theſſalonicenſis, nullus est dubitandi locus. Nam hunc honorem illi habitum non fuisse propterea quod Damasi Papæ Legatus esset in ea synodo ex eo constat quod non iussu Damasi neque sponte sua Constantinopolim accessit, sed invitatus & evocatus ab Episcopis orientalibus, ut disertè scriptum est in eisdem literis Concilij Italici. Falli ergo necesse est viros doctos qui ex epistola Damasi ad Acholium, quæ extat inter acta Concilij Romæ habiti sub Bonifacio secundo, collegerunt Acholium fuisse Damasi Legatum in secunda synodo œcumenica, cum Sozomenus lib. VII. cap. VII. Acholium inter eos Episcopos enumeret qui Concilio primo Constantinopolitano præfuerunt, non potuisse autem Acholium alia ratione synodo CP. extra Diœcesim suam præesse quam vi legationis Damasi. Falluntur, inquam. Nam falsum est Sozomenum enumerare Acholium inter eos Episcopos qui synodo illi præfuerunt. Illud tantum ait, Macedonianorum duces, non verò Concilij præfides, fuisse Eleusium Cyzici Episcopum & Marcianum Lampſacenum, Catholicorum verò Timotheum Alexandrinæ sedis antistitem, Meletium Antiochiæ, & Cyrillum Hierosolymorum. Tum subiungit: *Cum his autem erant Acholius Theſſalonicenſis & Diodorus Tharſenſis & Acacius Berœenſis.* Nihil heic de præfidentia in synodo: cuius tamen mentionem faceret Sozomenus, non inde tamen colligi poſſet Acholium illic tenuisse vices Damasi, cum altum istius rei silentium sit in literis Concilij Italici & in scriptoribus ecclesiasticis omnium seculorum. Præterea, ea fuit præcis etiam seculis consuetudo, ut Legati Romanorum Pontificum primas sedes obtinerent in synodis œcumenicis. Et heic apud Sozomenum Acholius sexto tantum loco ponitur, & quidem longo intervallo post Eleusium & Marcianum Episcopos minorum civitatum. Quod est omnino infra dignitatem Episcopi Theſſalonicenſis, præsertim si Romani Pontificis vices illic gessisset. Itaque necesse est affirmare Sozomenum heic tantum agere de illis Episcopis qui primas partes tenerent inter Episcopos qui Concilio Constantinopolitano interfuerunt, non verò designare voluisse eos qui synodo præfuerunt.

† Holſten. in Notis ad Concil. Rom. sub Bonif. pag. 261. Chifflet. in Notis ad Vigil. Tapf. pag. 44.

Vide Soerat. lib. 9. c. 8.

X. Ex his porro quæ dicta huc usque de Acholio sunt facile colligi potest falli virum eruditissimum Henricum Valeſium, qui Acholium putat unum fuisse ex Episcopis orientalibus, ob eam videlicet causam, quod adfuerit in secunda Synodo œcumenica, cui solos, inquit, *Orientis Episcopos interfuisse constat.* Cerrum sanè est occidentales Episcopos non interfuisse huic synodo, quæ ex solis orientalibus constitit. Sed non inde sequitur Acholium fuisse unum ex orientalibus. Nam ante divisionem Imperij, quæ facta est à Theodosio, Illyricum solidum, in quo sita erat Theſſalonica, accensebatur Occidenti, ut dictum est in capite XXI. istius libri, & probat etiam idem Valeſius. Præterea Acholius non interfuit huic synodo ut Episcopus Ecclesiæ orientalis, sed ut unus occidentalium, evocatus nimirum ab orientalibus, ut docet epistola Concilij Italiae ad Theodosium, cuius locus paulò antè relatus est in hoc capite. Quod animadversum non fuisse à Valeſio miror, qui testimoniis istius epistolæ Concilij Italici frequenter utitur in Annotationibus suis ad Socratem & Sozomenum.

## CAPVT XXI.

## Synopsis.

I. *Agendum de ordinatione Maximi in Ecclesia CP. ut Nicolaus I. vindicetur à suspitione mendacij adversus Blondellum. Damasus Papa non favit Gregorio Nazianzeno in hac causa, ut visum est Baronio. Immo ejus translationem fieri non debere rescriptit.*

II. *Describuntur quæ Constantinopoli acta sunt circa Maximi & Gregorij ordinationem. Damasi scripta ad Episcopos quosdam Illyricianos epistola damnat ordinationem Maximi, & presumptionem Gregorij, qui de civitate sua ad Constantinopolitanam transire velle contra Canones.*

III. *Idem de ea re scribit ad Acholium Theſſalonicensem, hortaturque eum dare operam uti catholicis Episcopis in CP. urbe constituatur.*

IV. *Ex his Damasi epistolis collegerunt viri docti Acholium Damasi Legatum fuisse in secunda synodo œcumenica. Refellitur ea doctorum virorum opinio.*

V. *Theodosius Imp. baptizatur ab Acholio. Concilium Constantinopoli congregatur, ad quod orientales Episcopi evocant Acholium pro causa Maximi & Gregorij finienda. Gregorio se episcopatu regia urbis abdicante, Nectarius in ejus loco ordinatur, Maximus verò deponitur & excommunicatur.*

VI. *Maximus damnatus confugit ad Episcopos Italos, qui patrocinium ejus suscipiunt, damnata Nectarij ordinatione. Causa ejus arbitrat in Concilio Aquileiensi sub Ambrosio, ex quo scriptum est ad Theodosium.*

VII. *Queritur an Acholius huic Concilio interfuerit, & utrum heic tenuerit vices Damasi. quod negatur.*